

1178 se arte coeuntes, totam mole fulciunt. Quicquid a me-  
dio sursum est, purissimo fulget auro: recedunt tamen  
quam longissime ab oculis in ipsa testudinum convexu-  
ra Græcanici operis vetustissimæ imagines, mœsta qua-  
dam venerabilique præsentia horrorem cum religione mi-  
xtum spectantium animis inferentes. Quod inde ab au-  
ro ad pavimentum subjacet, id totum est marmoreis ta-  
bulis compactum: quæ blanda quadam inter se venarum  
similitudine citius fatigant, quam expleant intuentium  
oculos. Circa imum sedilia peregrini lapidis porphyritem  
rubentis. Pavimentum figurarum varietate incredibili di-  
stinctum, ac in tanta colorum diversitate, nulla alia ni-  
si marmorea materia præditum. Columnæ ad hæc &  
tabulæ multæ, & variæ, Tapisci lapidis, Parii, Sparta-  
ni, Numidici, aut certe Numidico assimilis, suggesta  
duo circa aram maximam muniunt. Idem ferme ornatus  
est & vestibuli, quod a fronte dextra lavaque templo  
adjacet: cuius aurei fornices exteriore parte trecentis &  
amplius fulciuntur columnis, non tam magnitudine sua,  
quam colorum varietate conspicuis: intercolumnia, &  
quicquid medium est, marmoreis tabulis pro tectorio re-  
nitet. In vestibuli fastigio a fronte quatuor ænei equi,  
auro micantes, alaci statu prominent. Opus eximium,  
nec quidem nostri sæculi. His operosum templi superci-  
lium incubat, senis fese explicans pinnaculis: quorum  
singula in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent  
ex candido lapide statuas nudi Genii. Aliaque suavissi-  
mi aspectus simulacula, suo quæque statu operibus inser-  
ta, miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapelinem. Idem opus eandem materiam tam de-  
xtrum latus habet, quam lævum. Quicquid sub his  
convexi est, id nihil est nisi aureum. Brevi, nullus  
est intra ædem locus, nullus quidem extra, qui non  
auro fit aut marmore aliove precioso lapide conspicuus:  
ita ut & geminæ ex alabastro columnæ, post aram  
maximam stantes, & sexquipedales chalcidonii, qui  
pavimento inserti visuntur, nihil in tanta opulentia  
ha-